



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manvale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Annotationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

ANNOTATIONES.

- A**n possint ostia frangi ab Episcopo Visitante recusantes visitari quo ad clausuram. Vide Fuscum de Visitat. lib. 2. cap. 19. ubi ex professo tractat. cum distinctionibus, & tandem concedit.
- 2 Impedientes quo minus Episcopus sua vatur iurisdictione: excommunicatur in Bulla Cœne Domini num. 15.
 - 3 Inuocari potest brachium seculare. quod si neget, excommunicari potest cap. 2. de maledicis, & cap. 1. de Offic. Ordin.

Index decernendorum in Visitatione locali,
& materiali. §. X.

Peritus Sacrorum Canonum Episcopus, Decretorum synodalium, & communioris usus. Ecclesiæ Catholicæ, quædam statim decernet, & in ipso Visitationis actu exequetur, quædam maturius circa finem Visitationis locorum; & personarum.

- 1 Nam decernet statim, & singillatim, ea, quæ seqnuntur.
- 2 Altarium demolitionem, ubi facienda est.
- 3 Aratum confractionem. Veteris Christiatis, & Oleorum ambustionem.
- 4 Sepulchrorum amotionem, seu obstructionem, si loco vetito.
- 5 Amotionem bradellarum, sedilium, & aliorum impedimentorum.
- 6 Item profanarum imaginum, aut rerum.
- 7 Lacerationem corporalium, purificatoriorum, & rerum indecentium sine remedio.
- 8 Profanationem calicium, & patenarum; item Ecclesiarum, quæ fit, ut infra.
- 9 Claustrum portarum laterarium.
- 10 Lacerationem Missalium, Breuiariorum nimis indecentium.
- 11 Amotionem arborum à Cœmeterio, & locis Sacris.
- 12 Ramorum incisionem, qui nocent parietibus Ecclesiæ.

Ea vero, quæ maturius, & data opportunitate temporis, sunt executioni mandanda.

- 1 Altarium reconcinnatio, & bradellarum.
- 2 Vmbellæ constructio super altare.
- 3 Telaria altarium lignea.
- 4 Septa altarium.
- 5 Fenestella pro vrceolis.
- 6 Cruces, candelabra, & alia huiusmodi, assignato congruo spatio temporis, iudicio Episcopi, & pena pecuniaria, aut alia ad ar-

bitritum, non autem censuris, vel certe, non lata sententia, nisi ex maxima causa.

Alia denique sunt, quæ reseruari debent, examinandam melius adhibitis etiam in consultationem doctissimis viris, peracta tota Visitatione, ne diutius immorans Visitator loca plus iusto grauet.

ANNOTATIONES.

- 1 **D**e Predictis aliqua fieri debent sumptibus Rectoris Ecclesie, aliqua populi are vel viriisque.
- 2 Regula est in Actis Eccl. Mediol. ut cum Ecclesia redditus suspetunt commode ad omnes expensas, non compellatur populus, nisi ad cœmeterij impensam; præterquam ubi est consuetudo populo etiam alia praestandi: quæ retineantur.
- 3 Si vero non suspetunt fructus Ecclesia præter victimum Sacerdotis, totum, quod deest Parochiali Ecclesie ac eis Parochialibus in fabrica suppelleant sacra vel Clerici sustentatione, curandum est impensa Populi.
- 4 Altarium minorum instauratio, ex Decreto S. Caroli in Synodo Diœcesis IV. praestanda est per eos, quibus ex fundatione, alioue iure, onus eiusmodi impositum est, si nulli ij sint, siat eorumdem altarum censu, legatoque Misericordia facienda relictio, si minus satis est, mo-neantur ij, qui ibidem habere ius sibi persuadent si neque hi sint, detur ijs, qui sponte velint, vel ij praestant, quibus incumbit onus reliqua Ecclesia, datoque certo termino amo-ueantur, & ad altare maius, seu aliud transferantur Hac ibi.
- 5 Si partiendum est onus, assignetur Rectori potius, quæ pertinent ad paramenta, mappas, & reparacionem Altaris maioris; populo, quæ ad fabricam.
- 6 Quæ attinent ad Sacram Eucharistiam, detur schola Corporis Christi, cum facultate, ut quaestuet ad hunc effectum.
- 7 In taxandis Capellani fructibus pro reparacione, & ornatu, habeatur ratio, ne graueatur ultra id, quod assignaretur mercenario implenti onera Capella.
- 8 Ultimum remedium est supersedere à toto servitio, vel eius parte per aliquod tempus; & quod impendereatur, si à mercenario praestandum esset, assignetur pro impensa, data facultate Titulari, si inops esset, suscipiendo oneris in alio altari, vel Ecclesia cum sua eleemosyna.
- 9 In ijs quæ minutiora sunt, ut claves, corporalia, &c. non excusatetur Rector illo quoniam inopia.